



Praxis Avrea Qvotidianarvm Rervm Ecclesiastici Fori

In qua Variæ Iuridicæ Resolutiones ex approbatis traditionibus Doctorum,
atque diuersorum Tribunalium, præsertim Rotæ Romanæ, Decisionibus,
excerptæ, continentur; Opvs Qvatvor Partibvs Distinctvm

Continens Tertiam, & Quartam Partem: Quibus, hac nostra editione ab
innumeris mendis repurgata ...

Riccio, Giovanni Luigi

Venetiis, M.DC.LXXIV.

Praxis Oratoria Pvblica & Priuata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98599](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98599)

3 Quæ resolutio comprobatur, tam ex vulg. reg. quod semel placuit, amplius non potest reprobari. gloss. in dicto c. de illis, quam ex aliis, qui prior est in tempore, potior est in iure, cap. qui prior de regul. iur. in 6. & ibi Doctor.

4 Quod verum esse dicitur etiam si secunda sponsalia essent iurata; prima verò non iurata, nam quis obligatur sub poena peccati mortalis observare prima sponsalia, & iuramentum in secundis prælitum non est observatorium uti fouens peccatum c. veniens de iureiurand. Abb. in d. c. sicut n. 7. Couar. dicto c. 4. n. 3. & Deus nullam differentiam facit inter iuramentum, & simplicem loquelam, Abb. in dicto c. ex literis il 2. num. 3.

5 Et ad primum partis obiectum respondetur, illud verum esse ante Sacrum Concilium Tridentinum: tunc etenim sponsalia de futuro per copulam subsecutam efficiebantur sponsalia de presenti, & transibant in matrimonium c. is qui de sponsal. Grass. decis. aur. p. 1. lib. 2. c. 82. num. 4. & in isto tempore sunt intelligenda iura, & doctrinæ in contrarium allegatæ: Sed hodie cum per Sac. Concil. Trident. de reformat. matrimon. sess. 24. cap. 1. disponatur, omnia matrimonia irrita, & nulla habenda esse quæ aliter quam præsentem Parochos, & duobus, vel tribus testibus contracta reperiantur, de quo Surd. conf. 364. num. 5. non possunt attendi secunda sponsalia, licet sit secuta copula, ex quo cessat præsumptio maritalis affectus, nec possit præsumptivè dici matrimonium, sed prima sunt omnino observanda secundum Nauarr. in Manual. c. 22. num. 26. & 28. c. 25. n. 144. & conf. 38. de sponsal. Mascard. de probat. vol. 1. quæst. 10. num. 70. cum seq. Henric. in summ. Theol. moral. lib. 11. de matrim. c. 13. n. 3. Gregor. de Valent. super D. Thom. tom. 4. disput. 10. q. 2. punct. 4. Sylu. in verb. sponsalia num. 4.

Corroboratur hæc responsio, nam dicta copula quamvis maritali affectu subsecuta sit, dicitur post dictum Sac. Concil. Trid. fornicaria secundum Henric. in dicto c. 13. n. 3. & alios Doctores supra citatos.

RESOLVT. CCCCXXIV.

- 1 *Causa rationabilis non est ut sponsus non possit cogi ad matrimonium contrahendam, quia copula interuenit, & proinde odia inimicitie ortæ sunt, & num. 2. & 3.*
- 4 *Copula carnalis ubi in personas sponsi, & sponsæ concurrat sponsalia confirmat.*
- 5 *Spiritualia non recipiunt rectam æstimationem.*

Causa rationabilis an sit cur sponsus per censuras non possit compelli ad contrahendum matrimonium si cum sponsa concubuit, & ob id odium inter eorum consanguineos ortum fuerit.

- 1 **S**i sponsalia cum iuramento sint contracta, & sponsus cum sponsa concubuerit, & ob id inter eos, & consanguineos odium, & inimicitie fuerint exortæ, hæc iusta causa censeri non debet, cur sponsus per censuram Ecclesiasticam non possit cogi sponsam ducere in uxorem, quia hoc odium non est huiusmodi, ut sit timor futuri homicidii, vel adulterij, vel seditionis inter consanguineos si matrimonium sublequatur.
- 2 imò magis est verisimile, quod ex nuptijs sequatur reconciliatio, ut ex facto respondit Gabriel conf. 159. n. 12. & seq. lib. 2. & in ea causa in sacro Auditorio ita decisum fuit apud fel. record. Clem. VIII. tunc temporis sacri Palatii Apostolici Auditorem in Valent.
- 3 matrimonij die 6. Februarij 1579. nam Domini arbitrati sunt causam inimicitiarum ex parte sponsi præsentiam non esse talem, ut à coactione sit abstinendum, quia huiusmodi inimicitie ex eo fuerunt ortæ, quod sponsus recusauit cum sponsa contrahere matrimo-

nium, & si matrimonium sublequatur, timor scandali cessabit, quia sponsa confidit, & nisi sponsus compellatur ex dolo suo, commodum reportabit, tum quia sponsam deslorauit, tum quia fidem non adimpleuit.

4 Et ubi interuenit copula carnalis, illa utique confirmat sponsalia de futuro, Anton. de Butr. in c. a nobis de sponsal. impuber. Stephan. de Gaeta in repetit. ca. ad limita n. 102. 30. quæst. 1. Imò hoc casu probatur confirmatio sponsaliorum de futuro post copulam contractam, ex quo apparet magis enixa voluntas, ita ut recedi non possit, & licet Rota in decis. 497. dicat, quod in illo casu interuenit iuramentum, tamen principaliter se fundat in copula carnali ad evitandum scandalum, quod multò magis procedit in hoc casu propter filij natiuitatem ad evitandum scandalum.

5 Nec potest absolui præstando interesse, quia sumus in spiritualibus, quæ non recipiunt rectam æstimationem iuxta notata in cap. coram de officio delegati, ita singulariter limitat Innoc. in cap. causis de elect. & ibi Abb. n. 11. idem Abb. in dicto ca. ex literis num. 6. Iaf. in l. si pecuniam in 5. not. num. 3. ff. de condit. ob caus. Riminal. Jun. in conf. 538. n. 30.

PRAXIS ORATORIA PVBLICA & Priuata.

RESOLVT. CCCCXXV.

- 1 *Oratorium dicitur ab orando.*

Oratorium unde dicatur.

- 1 **R**espondetur Oratorium dici ab orando, precesque Deo offerendo, ut operi conueniat nomen, cum enim populorum deuotio frequens esset propter eorum commoditatem vsus est plura loca constitui ad orandum: largo modo omnis Ecclesia potest dici Oratorium, dicit enim Dominus, domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis eam speluncam, &c.

RESOLVT. CCCCXXVI.

- 1 *Cappella quando non sit de Ecclesia.*
- 2 *Campanile conceditur Ecclesia.*
- 3 *Oratoria quando dicantur publica.*

Oratorium publicum qualiter à priuato discrepet.

In hac quæst. respondendum existimari cum decis. Rotæ in vna Licien. Cappellæ 5. Decembris 1588. coram Eminentiſſimo Cardin. Mantica, cuius tenor est. Dubitatur an sententia lata à Reuerendissimo Neritonensi contra Reuerendissimum Episcopum Licien. sit exequenda.

- 1 **E**t conclusum fuit eam esse exequendam, quia de iustitia constat; Nam Cappella de qua est controuersia, non est Ecclesia cum non sit consecrata, neque dotem habeat constitutam, ut requiritur c. nemo il primo de consecrat. dist. 1. Feder. de Sen. conf. 130. & ideo dicitur, priuatum Oratorium cum in Solo Monachorum sit constructum, & eorum ædibus incorporatum, & ad illud non nisi per ades in quib. hospitium est constitutum, datur accessus, quod indicium est certum ad demonstrandum hoc esse priuatum Oratorium, ædibusque coniunctum, & ideo non minorem probationis fidem quam instrumentum continet l. iudicia C. de vendit. & l. vlt. C. de probat. Quamobrem cum Cappella sit Monachorum, consequens est fidelium oblationes eis acquiri c. 1. & ibi not. Abb. n. 1. de stat. Monachorum cap. nimis. & ibi Doct. omnes de excessibus Prælatorum. Dec. conf. 148. num. 1.

2 Neque

2 Neque obstat, quod in quibusdam scripturis antiquis dicatur hanc Ecclesiam esse de proprietate Episcopi, & habuisse campanam in turri, quæ vulgo dicitur campanile, quod Ecclesie tantum non etiam priuato oratorio conceditur c. patentibus, & ibi not. Abb. de priuileg. idemque Abb. in c. inter dilectos num. 8. de donat. quia à Dominis fuit responsum has scripturas, non esse in forma probanti, neque constare de huius Capellæ identitate, neque verisimile esse hanc Ecclesiam fuisse, cum nullus omnino prouentus demonstratur, neque apparet vlla collatio, neque vnio probatur.

Neque testes Episcopi deponunt huiusmodi Ecclesiam ante miracula habuisse Turrem, seu Campanile, & quamuis adesset aliqua Campanella, non sequitur, quod oratorium dici non possit Abbas per illum text. in dict. c. parentibus in 2. not. de priuileg. & in dicto cap. cum inter dilectos num. 8. de donat.

Neque etiam refragatur, quod testes dicant se vidisse in eo loco Missam celebrari in die S. Ioannis, quia ex eo, quod interdum Missa celebratur non desinit esse Oratorium c. vlt. & ibi not. Abb. de censibus, idemque Abbas in cap. interdictos num. 8. de donat. Dec. dict. cons. 148. num. 1. vers. similiter.

Neque ad rem pertinent Episcopi noua visitationes, quia post miracula facta sunt, neque constat de scientia Monachorum, qui vitam degunt intra claustra Monasterij, quod longe distat ab Oratorio, & cum hæc visitationes fuerint liti exordium Monachorum possessioni non debent obesse, quia solo animo possessio retinetur l. 3. §. in admit-tenda ff. de acquirenda possessione, & l. licet. C. eodem.

Similiter non obstat, quod Episcopus hunc locum instruxit, & altare construxit, quia hoc etiam post miracula, & oblationes fidelium fecit.

Neque obstat, quod Episcopus fundatam habeat intentionem ex iure communis, quia Monachi sunt exempti, & de priuilegio exemptionis constat ex actis, vt requiritur c. cum persona de priuileg. lib. 6.

Et vltra hanc decisionem latius videas Marital. de immuni. Eccles. c. 34. §. 4. vbi declarat, quando Oratoria dicantur publica, & quando priuata.

RESOLVT. CCCCXXVII.

1 Parochus habet intentionem fundatam super oblationibus, & qui respectu oblationum imaginis pictæ factæ in 2. nisi intuitu imaginis essent factæ num. 3.

Oblationes factæ Oratorio, an Rectori, querantur, quando sunt intuitu imaginis eiusdem Oratorij.

1 Licet, vt plures scripsi litteras, oblationes acquiri Parocho, ex quo habeat intentionem fundatam de iure communi super omnibus obuenientibus spiritualibus contingentibus intra limites suæ Parochiæ, vt per Ioan. Andr. & Hostien. in cap. Pastoralis de his, quæ fiunt à maiori pan. Capituli.

2 Quod procedit, etiam respectu oblationum, quæ fiunt imaginis pictæ in Capella, seu Oratorio existente intra limites Parochialis Ecclesiæ, vt pluries memini fuisse dictum in Curia Archiepiscopi Neapolitana.

Nam iste quoque acquiruntur Rectori dictæ Parochialis, vt tradunt Hostien. Butr. Abb. & alij in rubr. de Parochiis supra dicta scilicet ratione, quia oblationes ei debentur iure Parochiæ, vt dicit text. in ca. quia Sacerdotes, & in c. Sanctorum 10. quæst. 1. Idem tenet Abb. in c. dilectus col. 2. de success. ab intest. vbi dicit, quod omnes oblationes, quæ fiunt in aliqua Ecclesia non curata existenti intra Parochiam, quocumque in loco ea sita sit, debentur Rectori dictæ Parochialis.

Quod etiam probatur in d. c. pastoralis in princ. & ibi notant Butr. & Abb. in 2. not. de his, quæ fiunt à Prælat. vbi quod oblationes, quæ fiunt imaginis exi-

stenti in aliqua Capella, non debentur Sacerdoti, cuius est Capella, seu Altare, sed Rectori Parochialis Ecclesiæ, in cuius Parochia existit illa Capella, seu Altare; Hoc etiam voluit Abbas in c. quoniam de decim. in primo not. per illum text. vbi expressè excludit Episcopum, & laicos à perceptione oblationum, & quod huiusmodi oblationes pertineant ad Rectorem est decis. Cappell. Tolof. vbi 483. Adden. plures alios cumulant, & de communi testantur Maluet. in tract. de oblation. dub. 4. n. 46. Soccie. in libell. 18. num. 4.

3 Limitatur tamen supradicta conclusio, quoties apparet oblationes fuisse factas intuitu imaginis existentis intra Oratorium, tunc enim non Parocho, sed ipsi Oratorio queruntur, in c. dilectus de officio Ordinarij, Socce. de oblationibus lib. 18. q. fin. Att. in ca. 2. de successione ab intestato cap. pastoralis de suis, quæ fiunt à Prælati, sine cons. c. Genuen. in Praxi ca. 72. n. 14. Marefcott. lib. 2. quæst. 42.

In dubio tamen præsumuntur factæ intuitu imaginis oblationes, quæ fiunt in Capella, vel Oratorio, sito intra Parochiæ fines non Oratorio, sed ipsi Parochiali adiacantur, verum videtur militare exceptio in superiori capite allata, Decius enim declarat si imago esset in aliquo Oratorio intuitu, cuius fierent oblationes, quod cederent Oratorio, in dubio tamen videtur habere locum prima opinio, quæ mihi placet absolute, tum propter auctoritates supra allegatas, tum etiam quia sicut noualium decimæ debentur Eccles. in cuius Parochia surgunt, ita etiam seruandum de oblationibus, quæ decimis æquiparantur.

RESOLVT. CCCCXXVIII.

- 1 Oratorium venit sub nomine Ecclesiæ.
- 2 Priuilegia concessa Ecclesiæ competunt Oratorio.
- 3 Restitutio competit Oratorio sicut, & Ecclesiæ.
- 4 Beneficium l. vnic. C. quando Imperator competit Oratorio.
- 5 Confugiens ad Oratorium gaudet immunitate Ecclesiæ.

Ecclesiæ sub nomine, an veniat Oratorium, ita vt priuilegia concessa Ecclesiæ illi suffragentur.

1 Respondetur Ecclesiæ sub nomine venire Oratorium, quando illud auctoritate Episcopi est erectum, quia sub tali significatione comprehenditur omnis locus pius Episcopi auctoritate erectus Summ. Bullar. in verbo alienatio nu. 28. Filliucc. de stat. Clericorum tract. 44. c. 4. num. 19. Nouarius in suo opusculo noui iur. Pontific. conclus. 1. n. 2. sub tit. de alienatione rerum Ecclesiæ, & in prax. elect. for. quæst. S. 3. sect. 2. in vltim. impress. Neap.

2 Taliter, quod in hoc casu omnia priuilegia concessa Ecclesiæ extenduntur ad huiusmodi oratoria, ad instar extenduntur ad hospitalia l. omnia C. de Episcop. & Cler. §. fin. Auth. de Eccles. tit. l. omnia C. de Episcop. & ibi Glof. & Io. Andr. de Relig. Dom. fusè Nouarius, qui plures illationes iuxta morem adducit in dicto nouo, & amplo tract. de elect. & variat. fori q. 54. a n. 3. vsque ad n. 9. sect. 2. in vltima impress. Neap.

Et hinc interdicto ingressu Ecclesiæ, dicitur interdictus ingressus oratorij, Couar. in Clem. alma mater de sentent. excomm. in 6.

3 Et restitutio in integrum competens Ecclesiæ, competit etiam Oratorio, & solemnitas requisita in alienatione rerum Ecclesiæ, requiritur etiam in venditione bonorum Oratorij, & legatum factum Oratorio, dicitur pium, sicut legatum Ecclesiæ relictum, pium quoque appellatur, sicq; etiam, vbi illud relinquatur pro refectione Oratorij, vel Cappellarum, pium quoque nuncupabitur legatum, Thomas in tract. de vlt. volunt. tract. 10. cit. 1. cap. 20. Nouarius in d. tract. de elect.

elect. & variat. Fori. q. 51. nu. 22. sect. 2. refectio siquidem Ecclesiarum, Cappellarum, siue Oratoriorum, dicitur pium opus.

- 4 Et Oratorio competit beneficium, l. vnic. C. quando Imper. inter pupill. & vid. sicuti competere Ecclesiæ, & alijs pijs locis, Thesaur. dec. 177. Menoch. de arbit. iudic. lib. 2. cap. 66. & omnes scribentes in Const. Regni statuimus de offic. magistr. Instituti.

Inde etiam tractauit in Prax. resol. 11. tom. 2. si Episcopi consensus requisitus in ædificatione Ecclesiæ, sit necessarius quoque in erectione Oratorij, vt ad id nouissime nos allegat Nouarius in opusc. iur. Pontific. concl. 1. sub tit. de ædificatione, siue Monasteriorum, erectione, ex cuius dictis nu. 4. facias conclusionem in dubio Oratorium auctoritate Episcopi erectum fuisse.

- 5 Et tandem ideo merito videmus, quod confugiens ad Oratorium Episcopi auctoritate erectum gaudet immunitate, ac si ad Ecclesiam confugiat, vt post antiquos Io. firmarunt Summista in verbo immunitas, German. de Sacror. immunit. lib. 3. c. 16. nu. 29. & 30. Card. Tusc. conclus. 9. n. 15. lit. E. Suarez de stat. Relig. lib. 3. c. 9. nu. 10. Azor. in Sum. moral. par. 2. c. 8. q. 3. & alij omnes moderniores vno ore.

PRAXIS EPISCOPI TITVLARES.

RESOLVT. CCCCXXVIII.

- 1 Episcopi titulares appellantur vagabundi per S. C. T.

Quid disponat S. C. T.

- 1 Sacrum Conc. T. sess. 14. c. 2. ita censuit, & quoniam nonnulli Episcopi Ecclesiarum, quæ in partibus infidelium consistunt Clero carentes, & populo Christiano, cum ferè vagabundi sint, & permanentem Sedem non habeant, non quæ Iesu Christi, sed alienas oues in scio proprio Pastore quærentes, dum per hanc Sanctam Sinodum, se Pontificalia officia in alterius Diocesi, nisi de loci ordinarij expressa licentia, & in personas, eidem ordinario subiectas primum exercere prohibitos videat in legis fraud. & contemptum, quasi Episcopalem Cathedram in loco nullius diocesis sua temeritate eligunt, & quoscunque ad se venientes, etiam si suorum Episcoporum, seu Prælatorum litteras commendatitias, non habeant Clericali characterem insignire, & ad Sacros, etiam presbyteratus Ordines promouere præsumunt, quo ex plerumq; fit vt minus idonei, & rudes, ac ignari, & qui a suo Episcopo, tanquam inhabiles, & indigni reiecti, fuerunt ordinati, nec diuina officia peragere, nec Ecclesiastica Sacramenta recte valeant administrare. Nemo Episcoporum, qui titulares vocantur, etiam si in loco nullius Diocesis, etiam exempto, aut aliquo Monasterio, cuiusvis ordinis sederint, aut moram traxerint vigore cuiusvis priuilegij, sibi de promouendo, quoscunque venientes pro tempore concessi alterius subditum, etiam prætextu familiaritatis continuæ commensalitatatis suæ, absq; sui proprii Prælati expresso consensu, aut litteris dimissorijs, ad aliquos Sacros siue minores Ordines, vel primam tonsuram promouere, seu ordinare valeat. Contrafacientes ab exercitio Pontificalium per annum taliter verò promotus, ab executione Ordinum sic susceptorum, donec suo Prælato visum fuerit, ipso iure sint suspensi.

RESOLVT. CCCCXXIX.

- 1 Episcopi titulares, qualiter sunt creandi.

Episcopi titulares, qualiter hodie creantur.

- 1 Plus V. post publicationem Conc. Trid. Decreto suo Consistoriali sancit huiusmodi Episcopos non esse creandos, neque suffraganeos dandos, nisi Ecclesijs Cardinalium, & illis, quæ eos solent habere, & cum certo stipendio perpetuo ad minus 200. aureorum de Camera super fructibus illius Ecclesiæ, qui propria auctoritate ab ipso percipi possint.

RESOLVT. CCCCXXX.

- 1 Episcopi titulares ordinantes aliquem, etiam familiarem, absque licentia proprii Ordinarij, sunt suspensi per annum ab exercitio Pontificalium.
2 Episcopus non potest ordinare aliquem in aliena diocesi, absque licentia Episcopi ipsius.

Titulares Episcopi ordinantes absque licentia proprii Ordinarij, sunt per annum suspensi ab exercitio Pontificalium.

- 1 Episcopi Ecclesiarum, quæ in partibus infidelium consistunt, qui titulares vocantur in quocunque loco, etiam quantumvis exempto, & nullius Diocesis, quem promoueat ad quemcunque ordinem, etiam primam tonsuram, cuiusvis priuilegij, etiam familiaritatis prætextu sine licentia ipsius proprii Ordinarij, sunt ab exercitio Pontificalium per annum suspensi, sic decidit Conc. Trident. sess. 14. de reform. c. 2. tenent Leon. in Thesaur. fori Ecclesiastici par. 3. c. 8. n. 16. p. 1. c. 4. n. 24. Azor. instit. moral. p. 2. lib. 3. c. 48. q. 6. Henric. in Summ. lib. 14. c. 17. §. 3. in fine litt. A. Galett. in marg. casuum conscientiar. verbo Episcopus pag. 100. col. 1. Nos in Praxi fori Ecclesiast. resolut. 495. in notabilibus, de materia Episcoporum, n. 1. in 2. edit.

- 2 Inde Episcopus ordinans in aliena Diocesi, absque licentia expressa ordinarij loci, aut ordinans de licentia Episcopi personas non subditas, suspenditur a Pontificalibus, ita decidit Concilium Trid. d. c. 2. Salzed. de Bernardin. in pract. c. 26. Glos. sine licentia sui præfatis vers. 3. casus est Tolet. in Summ. lib. 1. ca. 89. vers. 3. Henric. in Summ. lib. 3. de excommunic. c. 38. §. 1. vers. 1. Campanill. in diuers. iuris Canon. rubr. 6. c. 1. num. 2. & rub. 9. cap. 1. per totum. Valasc. alleg. iuris tom. 1. alleg. 43. num. 15. Bonacin. de censur. disp. 3. q. 6. punct. 5. num. 21.

RESOLVT. CCCCXXXI.

- 1 Episcopi, tam titulares, quam non, prohibentur munus eorum exercere in aliena diocesi, absque licentia Ordinarij.
2 Episcopus alienus conferens ordines in loco exempto, tenetur assequi licentiam superioris loci exempti, & illius Episcopi intra cuius fines locus exemptus extat.

Titulares Episcopi ordinantes exemptos, an incidunt in pœnas Sac. Concil.

- 1 N edum Episcopi titulares prohibentur id agere, verum etiam, qui non sunt titulares extra suam Diocesim, munus suum exercere non possunt, nec absque licentia Ordinarij loci ordinare personas, quæ nõ sunt subiectæ illi Ordinario, nisi habeant dimissorias generales a suis Ordinarijs, ita Concil. Trident. sess. 6. de reformat. c. 5. Nauarr. consil. 69. de sentent. excommunic. Cened. ad decret. collect. 52. num. 1. Henric. in Summ. part. 2. lib. 11. cap. 3. §. 2. in fine iuncto comment. littera S. Salzed. de Bernard. in pract. c. 26. litt. A. Curtier. Canon. lib. 1. ca. 26. n. 26. Flamin. de resignat. lib. 1. quæst. 12. nu. 17. Praxis Episcopalis par. 1. verbo Archie-